



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae Historiae Decas Prima**

**Martini, Martino**

**Monachii, 1658**

Sextus Imperator Xaokangus. Imperavit annis XXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11848**

ipse unus absque metu exerceat. Erant Ysi duo filij, quorum natus major KIAUS appellabatur, animi corporisque robore patre non inferior. Navim quidem, quâ vehebatur, ferunt solum trahere per continentem ad alterius fluminis litus potuisse, si exscendendum, aliòque in fluvio navigandum esset. Hunc submissâ clanculum parte copiarum in Imperatorem armat HANZOUS, atque ad expetendas paterni sanguinis pœnas excitat, Imperatorem simul ac duobus regulis è medio sublatis KIAUS tam ardore animi, quàm pietate ultro ad vindictam & arma promptus, mox conscribit exercitum, quem cum HANZORI copijs conjunctum perquam numerosum effecerat. Nec minori contentione, quanto potuit exercitu coacto SIANGUS vim vi parat repellere, adjutus regulorum, quos dixi, auxiliari manu. Ita demum ad pugnam ventum est; in quâ victor KIAUS Imperatorem & utrumque regulum suâ manu, vindictæ avidus, interfecit. Neque istâ clade hostium contentus, totam stirpem SIANGI radicibus exscissum ivit, eoque usque felici conatu, sola ut regina tum prægnans fugâ elapsâ inter montes & pastorum mapalia latitaret. Ita vacuum imperium HANZOUS invasit, & ipsos quadraginta annos obtinuit. KIAUM, cujus periculo ac nomine pugnaverat, laudatum regulis adnumeravit, exiguâ regni portione beneficij loco ei attributâ, cujus felicitati totû debebat.

## SEXTUS IMPERATOR XAOKANGUS.

Imperavit annis XXII.

*Cyclo 11. anno  
19. ante Christi-  
stum 2058.*

**X**AOKANGUS hoc demum anno paternum imperium restauravit, tot annis amissum; quod ita evenit. SIANGI uxor, quæ sola fugiendo perduellium furorem evaserat, intra montium latibula XAOKANGUM enixa, summo natalium silentio ibidem enutrivit. HANZOUS tamen eâ re nescio quo indicio tandem patefactâ, quàm primùm homines ablegavit, qui inter pastores latentem ad se pertraherent. At XAOKANGUS de periculo admonitus, relictis silvis in dynastæ cujusdam YN dicti territorium aufugit, eique aliquamdiu ignotus pro coquo servijt. Dynasta hominis mores curiosè observans,

*Imperator  
coquus.*

ex

ex agendi loquendique gratiâ deprehendit, ejus indolem esse pastoris & coqui conditione nobiliorem. Quare XAOKANGUM aliquando aggressus de genere ac fortunâ illius varia percontatur; ab eoque de majorum suorum, nec non diuturnæ calamitatis serie cuncta cognoscit. Tum non jam ut coquum, sed ut Imperatoris filium amplexatus, absterfo culinæ cultusque vilioris nidore filiam ei suam in matrimonium dedit, adjectâ ditionis parte, unde pro dignitate alere familiam posset, ac simul speciem daret, qualis in imperio ampliori esset aliquando futurus. Et mox apparuit eum regendi artes non à pastoribus, sed à regiâ indole hausisse. Domi enim moderatè suis imperabat; neque interim intermisit artes militares in umbra & pace addiscere. Inde foceri beneficio & operâ illius nomen apud Præfectos regni, qui olim in parentis fide rebus etiam adversis perstabant, sensim innouit. Quem statim pro SIANGI filio agnitum, & ob exploratam subinde ipsius indolem charum, collectis undique copijs iuverunt populo universo legitimum regni heredem sibi reddi exoptante. Ita in perduelles & HANZOOM parricidam ducto exercitu, vario eventu initiò pugnatum; sed postremo prælio tyrannus acie victus captusque meritis tantorum scelerum pœnas luit. Quo casu XAOKANGUS paterno sceptro potitus KIAUM quoque, ut HANZOI scelera dictantis ministrum, bello petit, missis in eam expeditionem Præfectis; qui casu KIAI exercitu ipsum captum obruncârunt. Fratris necem ulturus minor natu, dum arma in Imperatorem jam victorijs assuetum movet, nihilo meliore successu à CHUO filio superatus interimitur. Ita trium proditorum interitu HIAA familiâ propemodum extinctâ, sed postliminiò recreatâ, XAOKANGUS deinceps rebus omni ex parte tranquillè regnum gubernavit.

SEPTIMUS IMPERATOR  
CHUUS.

Imperavit annis XVII.

**P**ost superiora bella feliciter confecta, annos complures imperium Sinicum sub auspicijs HIAÆ gentis, quæ plures ex ordine Imperatores dedit, altâ pace fruebatur, CHUUS autem

*Cyelo 11. anno  
41. ante Christi  
sum 2027.*

G 2

tem